



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE OMNIUM CHRISTIFIDELIUM MAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE PIE SERVATUR IN ECCLESIA

PAROECIALI LOCO V.D. «SKRZYNSKO» IN DIOECESI RADOMENSI, PRETIOSO

DIADEMATE REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. –

Omnium Christifidelium spiritale curantes bonum, Beatae Mariae Virginis propagare volumus cultum, quae eminenter et singulariter tum virginis tum matris exemplar praebet. Ideoque, cum Venerabilis Frater Eduardus Materski, Episcopus Radomensis, rogaverit ut imaginem Virginis cum Iesu Infante quae sub titulo «Staroskrzynska» in sanctuario-ecclesia paroeciali loci v.d. Skrzynsko in dioecesi Radomensis pie colitur, pretioso diademate posset ipse redimere, petitioni illi libenti animo obsecundamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra potestate petenti Praesuli partes committimus ut memoratae imagini Nostro nomine et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Confidimus quidem per celebrationem eiusmodi fore ut omnes, qui eandem venerantur imaginem, ad colendam Matrem Dei magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Februarii anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana